

134 *provodití* provozovati – 135 *item* (lat.) rovněž, dále – 136 *aby se zkušoval* aby se zkoušel, aby podléhal zkoušce – 145 *potratil* ztratil – 149-150 *Jakub*: spr. Pavel, 1 Kor. 2,14

154 *vymlouvanie v hříeších* omlouvání hříchů; *nachylují* obracejí, svádějí – 154-155 *Podobná nedvědu*: srov. Zjev. 13,2 – 159 *nedvězí* medvědí – 161 *se nesrovnávají* neshodují se, nesouhlasí – 164-165: Iz. 16,6; *pejchu Moab*: pýchu Moabských (podle bible potomků Lotova syna Moaba), kteří sídlili v sousedství Izraelitů vých. od Mrtvého moře – 166 *k chvále* k slávě

Poznámky ediční

Jeroným Pražský: Řeč k chvále svobodných umění

Recommendacio arcium liberalium se dochovala v rkpe UK v Praze X E 24, fol. 241a-250a. Byla otištěna K. Höflerem jako projev Husův v díle *Geschichtschreiber der husitischen Bewegung* 2, Vídeň 1865, s. 112-128 (s četnými vadnými čteními rkpu a neoznačenými vynechávkami). Přinášíme zde proto v lat. znění tu část Jeronýmova projevu (fol. 245a-250a), která byla pojata do tohoto Výboru v překladu a s poznámkami A. Molnára. – Z literatury srov.: F. M. Bartoš, M. Jeroným Pražský, Jihočes. sb. hist. 14, 1941-5, 41n.; týž, Půlstoletí husitského bádání a nové nálezy husitských památek, Praha 1935, 20n.; týž, Francouzský předchůdce Koperníkův a jeho ohlas na Karlově universitě v době předhusitské, Jihočes. sb. hist. 12, 1939, 36n.; R. R. Betts, *The Great Debate about Universals*, Prague Essays, vyd. R. W. Seton-Watson, Oxford 1948; J. Kejř, *Sporné otázky v bádání o Dekretu kutnohorském*, Acta Universitatis Carolinae – Historica Universitatis Carolinae Pragensis 3, 1962 sv. 1, s. 83-121.

Recommendacio arcium liberalium

...Cum igitur hee speciosissime virgines, septem artes liberales, unaque cum matre sua regina philosophia, huic venerabili coree huius quodlibeti noscuntur adesse atque affuisse, erubescerent clerici magistrisque plurimi, qui se harum puellarum amatores gloriantur sophisticè, eo quod ad solempnitatem earum comparere invitati non ausi sunt, matrem nostram facultatem arcium, quantum in eis extiterat, dehonstantes. Sed qui in verecundiam matris nostre aut sui excellentissimi filii venerabilis magistri quodlibetarii hoc facere ex conspiracione credebant, nonne propriis irretiti consiliis ingressi sunt abyssum confusionis? Et quoniam quodlibetum exstat clericalis milicie validum torniamentum, in quo magistri singillatim ferro argumentorum probantur hincque pro viribus limitata accipiunt preconia, quomodo non erubescerent nostri magistri quam plurimi, qui suam presenciam impudenter ab actu hoc subtraxerant profectumque, qui vel racione congressuum universis scolariibus spectantibus eorumque doctrinam sed frustra exspectantibus evenisset, indecenter abstraxerunt.⁴ Sic milites seculares aut clientes magnam verecundiam putarent, quamvis cum vite corporee periculo ut vocati non venirent. Hiis igitur magistris singulis et universis qui actui huic veluti torniamento huius quodlibeti affuerunt, vos, o studentes carissimi, iure obligamini, eo quod et beneficiorum neminem decet esse immemorem, ceteris vero tamquam timidis militibus eas grates referetis, quales meruerunt. Et tanta sint dicta pro laude, honore et gloria virginum pulcherimarum, liberalium arcium, earumque professorum cum venerabili matre earum, regina philosophia.

Iam vero vel fastigialiter post laudem matris restat ad laudem eiusdem matris filii descendere et licet sine verborum scemate aut themate, cum ex legibus divinis humanisque non nisi laboriosos circa virtutes intellectuales et morales laudare conveniat, philosopho hoc idipsum confirmante 4^o Eticorum. Nam nisi honor laudis tribueretur merentibus, virtus malicia ex debiti stipendii carencia deperiret. Ne igitur laudibus tuis dampnum faciat vel occasionaliter meum dampnatum silencium, quin potius post labores et sudores diutinos fructum laboris accipias, mihi non videtur incongruum pro presenti tamquam libamen quoddam laudis et honoris ad degustandum, et licet coram tua presencia proponere, quamquam non me latet dictum Aristotelis Rhetoricorum 2^o, quo dicit: Laudare presentem signum adulacionis est. Non enim laus tua ut ceterorum ex rebus caducis dependet, qui letantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, quorum acciones perverse et infames gressus eorum, „hii sunt in epulis suis maculose convivantes, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, que a ventis circumferuntur, arbores autumpnales bis mortue eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errancia, quibus procella tenebrarum conservatur in eternum“. A quibus si pingues equos abstraxeris, si eosdem pannis pulcris ac mortuorum animalium pelliculis privaveris, ex tunc eos omni honore privabis, quoniam ad intra spurcitiis, luxuriis, simoniis, iniuriis, perfidiis, rapinis pauperum atque sacrilegiis ut sepulcra dealbata ossibus mortuorum repleti sunt, ad extra vero superbiis, tumoribus, turpiloquiis, mendaciis ceterisque flagiciis velut pallio confusionis amicti sunt. Hii suas confusiones, perinfames diffamas personarum nobilium atque huius venerande civitatis toti communitati utilium cooperire nituntur, ipsimet in vita et moribus heretici, fideles homines nostre sacrosancte nacionis boemice mendaciter hereticare non desinunt, cum sit antiquum vulgatum proverbium neminem pure Boemum posse fore hereticum, quod hucusque ex retroactis temporibus constat esse approbatum. Si igitur iuxta Salomonis sententiam melius est nomen bonum quam unguenta preciosa, per inmortalem Deum vos obsecro singulos et universos, qui serenissimi principis Wenceslai, Romanorum et Boemie regis, atque huius regni decorem diligitis quique bonam famam huius sacrosancte civitatis Pragensis sincere amatis, quatenus nomen illud bonum et optimum, quod hucusque in omnibus provinciis habuimus, observare modis quibus poteritis universi et singuli studeatis et id ipsum nomen bonum infringere conantibus ac personas nostre sancte nacionis Boemice turpantibus ut perfidis dolosisque mendacibus non credatis.

Et insuper vos omnes, perprudentissimi consules atque clarissimi cives, quibus tantus honor collatus est a serenissimo principe Wenceslao, Romanorum et Boemie rege, ut vobis pre ceteris precipue ac vestre providencie suum thesaurum nobilissimum sibi que amatissimam communitatem universorum hominum huius sancte civitatis Pragensis tradidit confidenter ad regendum et ad protegendum. Vos igitur cum obsecratione commoneo, quatenus hanc sanctam communitatem boemicam velut regi sincere amicam, ab omnimoda infamia perversorum mendacium pro modo vobis possibili constanter tueamini. Quicumque igitur quemcumque pure Boemum dixerit fuisse vel esse hereticum — a rege usque ad militem, a milite usque ad clientem, a cliente usque ad rusticum, ab archiepiscopo usque ad canonicum, a canonico usque ad minimum presbyterum, a magistro civium huius urbis usque ad consulem atque civem, a cive usque ad quemlibet opificem, unus pro omnibus respondeo, ut debeo, toto corde, ore pleno, intrepide, quod mentitur ut nullius fide dignus. Ad quod verbum nunc et semper stare paratus sum.

Ego enim rei huius vos testes esse non dubito, quod plerumque plus quam plures ab exteris nacionibus homines retinetis memoriter huc advectos eosdemque ut iure

compertos hereticos in hac sancta civitate fuisse combustos, nullum autem purum Boemum audistis vos neque patres vestri cum suis antecedentibus patribus vel semel ob heresim fuisse combustum. Sed illum infamem mantellum cum glauca cruce signatum super fidelissimos homines nostre sancte boemice nationis plus quam plurimi mendaces extranei nituntur dolose atque mendaciter inponere, ut sub hoc infamiam suam ac confusionem valeant abscondere. Nec me ex hoc quis imprudentem frontosum aut presumptuosum iudicet, si honorem, quem debeo, patrie mee impendo et eam pro viribus contra mendaces defendo. Nam quam sit excellens amor patrie, ipsa antiquorum probat frequens auctoritas, ut eciam pro ea non solum verbis, sed factis pugnandum sit, ex Kathonis sententia, qui ait: Pugna pro patria. Et Cassiodorus libro primo, epistola vicesima: Unicuique patria sua debet esse carissima. Et idem epistola 38^a sic ait: Nobilissimi sunt, quibus patrie sue augmenta est cogitare. Ymo secundum Oracium in suo libro Carminum „dulce et decorum est mori pro patria“. Sed prochdolor iam a multis amor patrie recessit et presertim in hac civitate, qui parum advertunt vel nihil, si dolose et mendose ista sacrosancta communitas in sibi suppositis utilibus mendaciter maculatur. Nam ut verum fatear, que communitas vel una in orbe est, que tali obprobrio potens resistere subiaceret? Nonne a plerisque noscuntur hic ydyote presbyteri, honore scienciarum a nemine sublimati, in sermonibus vulgaribus coram plebe mendaciter garrulasse, hic in civitate quam plures esse hereticos, quos Wykleffistas appellant? Et ego, quantum ad me attinet, coram vobis profiteor, me libros magistri Iohannis Wycleph legisse et studuisse sicut et aliorum doctorum libros et in eis profiteor multa bona didicisse. Verum tamen absit a me, ut sim ita insipiens, ut quidquid in libris eius vel alterius doctoris legerim, ut hoc ferme tamquam fidem teneam. Nam soli Scripture sacre hanc servabo reverentem sequenciam: Ipsa dicit, quod sic est; ergo verum.

Quod si Aristotelem paganum cum ceteris paganis philosophis adhuc in iuvenili etate et cum sudore legimus et diligentissime studemus, in quorum libris errores quam plurimi fidei catholice repugnantes inserti comperiuntur, attamen veritates claras quam plurimas in eorum libris inpositas capere non prohibemur, ita cur non legamus libros Wycleff, cum in eis infinite veritates sancte ab eodem elegantissime sunt reposite, quamvis turbant et clericos tumentes et laycos; sed non mirum, cum eadem claritas lucis delectat visum clare videntis et hec eadem claritas sit nocua lipientibus oculis. Discant stulti ydiote, quod argentum atque aurum ac lapides preciosissimi lutea minera sunt obvoluti, cuius qui non habet singularem noticiam, non magis preponderat quam terram aliam luteam. Hii vero, qui artis experienciam habent, propter terram auro gemmis quoque circumdatam minime aurum atque gemmas despiciunt, sed practica sue artis lutum ab auro in fornacis examine separant atque secludunt. Quis igitur vos, o iuvenes, prohibebit mineram veritatis in Wycleff libris addiscere congoscere? Ergo quantum ad me attinet summopere vos moneo, ut libros eius et presertim in artibus legatis frequenter atque studeatis diligenter; quodsi in libris eius ea inveniretis, que ob infirmitatem vestri teneris ingenii percipere ut deceret non valetis, pro forciori etate reponite; quod si in eis sunt quedam, que videntur fidei contraria, non hoc defendite aut tenete, sed pocius fidei vos submitтите.

Nam et beatus Ieronymus, qui et Origenem persequitur veluti hereticum, eiusdem viri tria millia voluminum refert se legisse et in quodam loco dicit: „Utinam omnium hereticorum libros haberem! Que vera sunt, excerpserem, que mala, dimitterem.“ Sed hic ab ydiotis obicitur: „Modicum fermenti totam massam inficit,“ sic modicum falsitatis aut erroris totum agregatum veritatum in uno libro inperficit. Quibus sic respondeo: Discant stulti alterius rationis fore res stabiles et permanentes a rebus caducis et fluidis. Fermentum ergo, quod caducum est et fluidum, hoc

caducam massam et fluidam inficit, sed nullum quantumcumque falsum seu erroneum vel minimam veritatem inperficit, cum veritas sit solida, que non potest mendacio fore penetrata, cum in penetracione rerum necesse est unam rem cedere alteri. Veritas autem nusquam cessit neque cedit mendacio, cum super omnia vincit veritas. Nec iam ultra ad libitum hominum mendacium a veritatibus preclaris, que continentur in dictis libris, recedite aut libros eosdem studere timete, quoniam non spectat ad sapientem veritatibus affici propter homines, sed potius hominibus propter veritates. Igitur absit a vobis in posterum, ut libros prefati magistri hiis, qui eos minime intelligunt, concedatis vel contribuatis, qui prius irrident veritates quam ipsas percipiunt et antequam vel partem intellexerint, iam in toto reprehendunt. Nonne ex summi magistri sententia mandatum negatum habetis, quo dicitur: „Nolite proicere margaritas ante porcos, qui magis in ceno quam in odore optimo volutare concupiscunt?“ A seculo visum non est, ut vel semel aurifices sua ingeniosa opera corariorum tradant examini, qui magis fetorem quam splendorem in rebus considerant. Ideo viri cordati vel iam corda erigite, et qui veritatis cultores esse debetis, hominibus mendacibus nequaquam colla submitтите, quoniam ad idem vicium spectat mendacium committere et hominibus mendacibus veritatem subprimere conantibus non fortiter resistere.

Vobis ergo iuvenibus Ioseph pulcrum, vobis etate consocium, pro exemplo deduco in medium, qui quasi solus inter fratres constanciam tenuisse describitur, ideo solus tunicam talarem polimitamque habuisse perhibetur. Verum quid aliud est Ioseph talaris tunica, nisi accio consumata; quasi enim propensa tunica talum corporis operit, cum quis ab agnita veritate protegente constancia non recedit. Vobis autem senibus literarum doctoribus Moysem senem doctorem, veteris Scripture legiferum, produco in medium, per quem cauda cum hostia in altari offerri precipitur, ut videlicet omne studium perfectum sive omnem veritatem, quam docere incipimus, et perseveranti fine compleamus et non velud cancri ob terrorem recedamus. Nempe melius est ad agnitionem veritatis non pervenire quam ab agnita ob pusillanimitatem spiritus cum rubore recedere et studentes, qui se ob tenuitatem ingenii evolvere neque sciunt neque valent, involvere.

Ad hoc nempe civitates sustinent magistros secum atque doctores, ut si que forent devia aut in fide erronea, iuxta Scripturam corrigant et mendacibus resistant, ymo mendaces in mendacio convincant. In hac autem civitate constat multos ydiotas mendacia coram plebe in sermone predicasse. Unde michi constat, quod cum quidam Apocalypsim ad populum non tam predicaret quam garreret, inter alia loquens de cauda draconis, que terciam partem stellarum de celo detraxerat, affirmative dixisse, quod iste draco magister Iohannes Wykleff extitit, qui plus quam terciam partem militantis ecclesie in suum errorem pervertit.

Sed viri docti aspiciite, numquid ille ydiota illud in textu reperit, an in Glossa ordinaria invenit, an fortasse in scripturis canonum sacrorum hoc investigavit, an talis est, ut quidquid dixerit suo capiti credamus! Scimus namque Scripture sacre doctoribus hoc a sancta ecclesia condonatum, quibus iam studio diutino comprobatis sensus Scripture confiditur et in eisdem loqui dicta, prout ratio uniuscuiusque capere potest, permittitur. Istitis autem ydiotis presbyteris non est data licentia ex propriis capitibus predicare, sed Scripturam limitatam coram vulgo sine proprio addito exponere. Hoc pro tanto dixerim, ut talibus ydiotis mendacibus in posteris non credatis.

Quamquam autem non meum sit pro presenti modo doctam docere Minervam nec sciolos magistros debere instruere, verum tamen non quod dico, sed quo animo dico, ab omnibus pensandum est. Et ut nichil sit in corde, quod distet a labiis, verbum brevissimum dicam: Si ydiote presbyteri in eorum vulgatis sermonibus nostram con-

munitatem sacrosanctam Boemicam in confuso mendaciter maculantes et ipsam hereticantes a vobis non cohibentur doctoribus, quibus interest ita mencies corrigere, quid aliud nisi mendosa huius communitatis confusio vobis iudicatur complacere? Nec hoc dico, ut sit vobis confusio ac si confundens alios propriam gloriam appeterem, sed quo vos viros doctissimos contra predicatores mendaces velut deceret impellerem. Scio namque sonum tubarum aut tube nullam vim equis conferre, verum tamen in eis fortitudinem torpentem quadam irritacione erigere. Ita ergo non per verba mea estimo vos docere, sed iam doctos diutine contra frequens mendacium concitare, ut congrue tota huius venerande civitatis Boemorum communitas vobis dignas exhibeat reverencias. Nam alias neque cetus clericorum, nec civium neque operariorum vos venerare tenetur, qui honorem ab eisdem percipitis et eorum fidelem communitatem mendacibus mendaciter turpare permittitis. Quod si michi obicitur non me debere sacerdotem dei confundere sive maledicere, respondeo, quod non sacerdotem dei maledicom, sed sacerdotem mendacem de tam turpi mendacio verbaliter reprehendo. Ideo erubescerent tales ydote presbyteri super ita impudenti mendacio.

Sed ne me ulterius cum istis presbyteris mendacibus occupem, ad te, domine quodlibetarie, hominem veridicum et veracem, converto sermonem, qui tanto magis laudandus es, quanto magis mendacibus restitisti. Et licet tua prudencia laudabilis cum preclaris habitibus, quibus exornaris, tibi ipsi sufficiat et mee laudacionis non egeat, ac tamen, quod tibi ad utilitatem atque honorem cedere credimus, reticere non possumus nec debemus. Nam tu pre ceteris laudandus es, quanto pre ceteris in tam juvenili etate in virtute sciencie excessisti. Non enim ut ceteri hoc pregravissimum onus, hoc est actum quodlibeti, verecundia urgente ex antiquato studio aut timore cuiusvis dampnusculi suscepisti, sed ceteris retroactis temporibus sibi oblatum honorem respuentibus, tu te ultro obtulisti, ymo ut verius dicam, tibi oblatum honorem per dominum decanum facultatis arcium et magistrum reverendum cum honore accepisti docte prudenterque agens; quum didicisti, ne des alienis honorem tuum, quod et practice fecisti, qua de re et exhinc laudandus es.

Laus nempe non nisi virtuosis studiosisque debetur, quorum utrorumque habituum minera radicitus sistit in te, uti experientia docuit variarum doctrinarum, que in hoc actu laudabili universis scolaribus ad profectum a te copiose emanavit. Nam si doctores theologi laudandi sunt, eo quod de deo locuntur veraciter, tu cum hiis laudandus es, qui nedum veraciter, sed et sapide de deo locutus es quasi doctores juris aut decretorum. Quare laudem tuam et honorem tibi debitum nemo arripiet a te, propter quod eviterne ab omnibus eris collaudandus. Nam si quis dives efficitur, gracias agat fortune; si generosus, non laus sua, sed eius parentum est. Quodsi pulcer ac formosus, expecta paulisper, cum senectus advenerit et non erit. At vero si sciens et sapiens, exhinc vere laudandus est. Et quoniam ex tuis actibus in te habitus gloriosi comparentur, quare merito pre omnibus divitibus, pre generosis formosisque et fortibus ab omnibus laudandus existis.

Sed quoniam laus humana ex passionibus surgit, eapropter, frater amantissime, ad augmentum laudis tue quasdam tuas passiones preteritas commemorare necesse est. Et quis est, qui ambigit, quin te deus viris dyabolicis in manus tradiderat? Illi te accepterant, ut perderent et honorem tuum funditus evellerent. At vero Dominus te eis tradiderat, ut cribratum variisque tribulatum angustiis magis decorum redderent et honori futuro, qui presens est, tam splendidum prepararent. Verum cum conversacio tua ab annis teneris usque hodie probata sit, cur Domino placuerit, inquiritur, te duris dirisque hominibus veluti leonibus tradere? Ad quod pro Domino respondeo, quod fecit hoc ideo, quia dum plurima dona dei habuisses, unum tibi defuerat, ut gracias tribulatus deo agere scires. Nondum enim sine isto perfecte

virtutis eras. Ideo bonum fuit, ut districcio severitatis inquireret, utrum is, qui et ante, inter angustias remaneres, nempe quia pena interrogat, si quis veraciter deum amat.

Nonne adversum te in unum convenerant, qui animam tuam inquirebant, ut multitudine vincerent aut turba terrerent, quem rationes superare non poterant? Cumque te obtrectantium verba et exprobrantium dolosa ridicula cordinsecus feriebant, quid aliud quam te de temetipso funditus desperare cogebant? Gravi enim telo desperacionis mens percuitur, cum tediis tribulacionibusque interius conprimatur et lingvarum obprobriis foris perurgetur. Ad quid pro tunc tua se poterat extendere fiducia, cum adversarii tui mortem tuam sicientes aperiebant ora sua super te velut leones, moventes capitibus et oculis annuentes; si retrospectisses, quot cyconiarum rostra super tua angustia coextensa conspexisses! Num non omnes aut fere omnes dereliquerunt te? Verum deus assumpsit te, qui et elisos erigit et compe-ditos resolvit. Nec te quisquam abinde despiciat, si sub pregravi onere derelictus a singulis erecte, ut decuerat, stare nequiebas, quoniam septies in die cadit iustus, sed resurgit, impius autem, cum semel ceciderit, per amplius non asurgit. Erubescant igitur et confundantur singuli et universi, qui animam tuam trucidabant et te pro viribus sic angariabant; et letentur exultentque omnes, qui tempore tue maxime tribulacionis pre angustia spiritus et merore ingemiscebant super te, iam te purgatum videntes et honorem tuum permaximum oculis conspicientes.

Ey vos, amantissimi studentes, nonne in vestris cordibus ita me loqui percipitis, ac si presens affuissem? Nonne in eadem tribulacionis tempestate multorum facies pallebant pre tediis? Nonne aera replebant suspiriis super tam inhumanis tibi factis iniuriis? Verum ardens malicia cum se saciare festinat, exitum rei nequaquam agnoscit. Quis enim in tali turbine ad culmen tanti honoris foret ausus te credere pervenire, in quali te iam modo constat omnes prospicere? Ad tantum enim in te exarserat malicia, ut nec tibi antistitis fidelis profuerat sententia, qua te in nullo errore repertum aut heresi in palam professus est. Igitur letentur et exultent in te universi, qui amant honorem tuum. Letentur, inquam, corpore et exultent mente et reve-reantur et confundantur omnes, qui te mendaciter diffamabant et aliis conminantes te afflictum in exemplum protrahebant.

Nec me quis multiloquii ex tanto sermone iudicet, quoniam non me latet illud dictum versificum

Quem semel horrendis maculis infamia nigrat,
Ad bene tergendum multa laborat aqua.

Sed iam finem sermoni inponens, brevi verbo vos alloquor singulos et universos, quod tanto audite attentius, quanto verbum extat fini proximius. Nonne a planta pedis usque ad verticem capitis sauciatum ulceribus Iob audistis et legistis? Num non demum sanatum ac restauratum hunc eundem relegistis? Nonne et istum magistrum nostrum, venerandum dominum quodlibetarium diffamatum exprobratumque retro-actis temporibus audistis et cognovistis, et nonne iam sanatum ac restauratum totaliterque mundatum vestra coram presencia respicitis? Et quomodo Iob pro simplicibus duplicia accepisse agnoscitis, ita istum in superhabundanti honore luce clara conspicitis. Nonne Ioseph, natum Rachel, a suis fratribus Ysmahelitis traditum et ad Egyptum productum variisque angustiis tribulatum ex sacra biblie cognoscitis hystoria? Nonne istum a filiis sue matris quondam ceteris et exteris novistis fore delatum ab eisque innocenter arrestatum? Verum num non finaliter Ioseph a Domino reservatum ducatuque servatum, qui suos in posterum ac alienos pasceret, ex eadem Scriptura agnoscitis, et nonne hunc ex preteritis turbacionibus ereptum actus huius quodlibeti ducem acielem ac principem clara luce conspicitis, quem

Dominus reservaverat, ut scienciarum annona plebem nostre universitatis aut arcium facultatis copiosissime pasceret pane sapiencie et aqua doctrine.

Sed quoniam ob multitudinem virtutum ac scienciarum, que in te sunt, nequaquam laudator tuus fore, ut cupio, sufficio, eapropter celebriter universis te laudandum derelinquo, hoc deprecatorie adiungens, ut qui de cetero maledixerit tibi, sit ipse a Domino maledictus, et qui benedixerit tibi, sit ipse a Domino benedictus. Cui supremo Domino sit graciaram accio, qui facit equitatem pariterque iudicium pro suis sacris veritatibus iniuriam patientibus. Et tanta sint dicta in vestrum omnium presencia.

O zpívání lidu

Lat. traktát De cantu vulgari otiskl z vídeňského rkpu Z. Nejedlý, Počátky husitského zpěvu, Praha 1907, s. 505-506 (2. vyd. sv. III, Praha 1955, s. 450-452). – Z literatury srov. Z. Nejedlý, cit. dílo, 2. vyd. sv. III, Praha 1955, s. 316-318. – Přeložil Z. Tyl.

Štěpán Pálec: O církvi

Obsáhlý výtah z Pálčova lat. traktátu vydal podle tří rukopisů J. Sedlák v příloze knihy M. Jan Hus, Praha 1915, s. 202-304. Odtud ze s. 283-289 přeložil naši ukázkou A. Molnár. – Rozboru Pálčova traktátu věnoval J. Sedlák rozpravu Pálčův spis proti Husovu traktátu De ecclesia, Hlídka 29, 1912, 39n. (též zvl. otisk).

Štěpán z Dolan: Listy husitům

Ze spisu Liber epistolaris ad Hussitas, rozsáhlé pětidílné polemiky proti husitství, dopsané v říjnu 1417, vybrána a přeložena místa, v nichž Štěpán hovoří o nám neznámé husitské spisovatelce a jejím českém díle na Husovu obranu. Jsou ve vydání Leopolda Wydemanna, Thesaurus anecdotorum novissimus od Bernarda Peze, sv. IV, 2, Štýrský Hradec 1723, sl. 520-521, 522-523, 524 (přihlížíme-li k úpravě Wydemannově, jde o ukázky z 5. a 6. kap. prvního dílu Štěpánových Listů) a sl. 534-540 (z 5. a 6. kap. druhého dílu). – Přeložil a vysvětlivkami opatřil A. Molnár s použitím překladu F. M. Bartoše v článku První česká spisovatelka, Křesťanská revue 24, 1957, s. 119-122. – Z literatury: J. Loserth, Die literarischen Widersacher des Hus in Mähren, Zeitschrift für Geschichte Mährens u. Schlesiens 1, 1897, seš. 4, s. 1n.; týž, Bemerkungen zu den Werken des Karthäuserpriors Stephan von Dolein, tamtéž 28, 1926, seš. 2, s. 32n.

Pro vzácnost Pezova Thesauru přetiskujeme i jeho lat. text:

Epistola ad Hussitas

Pars prima – Cap. V

Venit quippe et est in manibus meis quidam libellus vulgari Bohemico conscriptus, cuius compilatio et auctoritas intitulatur cuidam mulieri tacito nomine, plenus blasphemii Romanae ecclesiae, summi pontificis, cardinalium, episcoporum et aliorum praelatorum contemptu, et detractionibus totius cleri scriptus, et transmissus more libri secundi Machabaeorum ad quasdam, imo ad omnes mulieres sectae illius Hussitarum pro iustificatione et confirmatione summae laudis illius olim Magistri Huss damnatae memoriae. Cuius libelli si vellem translata materiam hic inserere,

vix quinque arcus papyri continentiam illius possent comprehendere. Ut tamen illius insaniam aliquid proferam, talem superscriptionem mulier illa posuit: „Istud scriptum et digestum mitto vobis, quod antea miseram ad quoddam monasterium; sed mittens vobis aliquid adscripsi et apposui de antichristis, qui se opposuerunt parti nostrae, maxime Magistro.“

Et nota hoc, quod dicit „Magistro“; per quam prolationem ex omnibus doctoribus non intelligunt alium nisi Magistrum suum Huss, more Scripturae, ubi nos dicimus, haec dicit Apostolus, id est Paulus; vel haec Propheta, id est praecipuus prophetarum, s. David. Sic enim secta illa eundem Huss attollit. --

Cap. VI

Digressi itaque paululum a proposito verborum illius mulieris, si tamen mulier, ut asseritur, est, magistrae Hussitarum praedictae, revertamur in idipsum. Sic enim scripsit, ut praemittitur, post caetera: „Qui se opposuerunt parti nostrae et maxime Magistro per inductionem et abductionem sibi devotorum. Vos autem non sic, quia non estis omnes, ut resistatis huic parti. Et adhuc intellexi et audivi de his, qui se non opponunt illi veritati, sed tenent illam veritatem: non tamen adhuc possunt consentire aliquibus articulis illius veritatis. Et ideo mitto vobis super his hanc declarationem; et rogo, quod non imputetis mihi, quod tanquam minor maioribus et indocta doctis transmitto hoc, quia fateor, quod sim ignara. Et tamen quidquid didici, audiens verba Dei a valde valentibus praedicatoribus huius viae, id est Hussitis, et quidquid de lege Dei et scripturis didici, hoc collectum conscripsi ad declarationem, sperans de vobis, quod ea suscipietis benevole; quia non potui dimittere propter charitatem, quam ad vos habeo. Et desidero a vobis scire, quomodo isti sermones placebunt vobis.“ Haec est subscriptio mulieris illius.

Sic ergo incipit compilationem suam doctrix magistrorum suorum mulier. „Inprimis, id est *najprvé*, quando eritis legere istos sermones, vel lectos audieritis, levate intellectum vestrum cum magna diligentia. Et memoriter audiat vel legatis: quia audire inconsuetos sermones vel minus usitados non cito intellectus capiet et suscipiet.“ Haec illius de verbo ad verbum.

Bene ergo incipit, nesciens quia verum diceret; quanquam suorum magistrorum abundans sensu pro sua et illorum iustificatione haec verba sic prolata ostenderet. Nam revera valde inconsuetum et s. matri ecclesiae nimis inusitatum est audire sermones, dicta et facta recenseri pro iustificatione illius olim Magistri Huss et suorum magnae rebellionis sequacium, quos ille damnatae memoriae Wikleff adulterina progenie in confusionem Babyronicam generavit. --

Et nunc, si ingemiscere nos oportet cum beato Apostolo in falsis fratribus, videmus, quanta amaritudine fratres illi Hussitae excitaverint contra ecclesiam zelum furoris indicibilis sexus promiscui, saecularis brachii metu pene ex hoc cadente non solum in plurimos clericos, sed in constantes viros. --

Pro cuius executione et defensione noxia, quasi pro se, sed potius contra se, scripturis diversimodis abutuntur; libros et codices latine et vulgariter confingentes, per se ipsos et feminas scribunt et praedicant; hinc inde transmittunt et multiplicant infamiam, contemptum et periculum Romanae sedis, et universi cleri, et maxime iam contra sanctae congregationis Constantiensis concilium generale: non advertentes, quod caput ecclesiae, Jesus Christus, dominus noster, non suam, sed caelestis patris voluntatem venit in terra facere exemplum. --

Pars secunda – Cap. V

Domine, miserere nostri; te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, salus nostra in tempore tribulationis. Nam et mulieres apponunt velle dominari sacerdotibus et viris ecclesiasticis, pluribus resistentiis et sibi asscriptis scriptis dictatu vulgaribus. Memorabor ergo mulieris praedictae; quae dum in suis scriptis praedictorum verborum b. Petri Apostoli, „oportet deo obedire, et non hominibus“, et ipsa ex eisdem verbis magistrorum suorum tradito sibi ingenio Romanae sedis obedientiam legitimam reprobat et mendaciter concutit, etiam haec, quae sequuntur, zelo et doctrina sui Magistri Huss contumaciter asseverat.

Introducitur enim scripturas pro sui Magistri et sectae illius defensione, quotas allegando evangeliorum et epistolarum, et doctorum exprimendo convenientia nomina, quod nequaquam illius mulieris suorum doctorum ascribitur astutiis. – –

Haec enim mulier Jezabel magna comminatione in servos dei desaeviens, ludens et illudens sanctis scripturis, non sanctam ecclesiam, sed suam propriam sectam attollens, mentitur et dicit, quod in omni statu, specialiter in spirituali, nec unus quidem, exclusis Hussitis, inveniri potest, qui vitam suam spiritualiter et honeste agere et verbum dei in spiritu sancto praedicare posset. Et, ut pro se et suis duntaxat vitae sanctitatem et praedicationis veritatem reservet, exclusis caeteris tanquam reprobatis et reprobis, sic materiam suae praesumptionis continuat. Nam allegans illud Jacobi: „Fratres, cum in tentationes diversas incideretis etc...“, habete hoc pro maxima consolatione.“ Quia nunc illud tempus currit, quod illi, qui propter salutem hominum et legem Christi servandam et propter Magistrum Huss laborant, patiuntur se iniuste haereticos appellari, contemni, et gravibus canonum sententiis excommunicari. Sed talium est regnum Dei et consolatio iuxta illud Math.: „Beati estis, cum maledixerint vobis homines etc.“ Et adducit et dicit pro illorum firmanda duritia illud Petri, „Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum“ etc. „Ergo isti sunt viri,“ inquit, „qui legem Christi, id est *zákon boží*, strenue defendunt, et constantes sunt ad praedicandum verbum Dei pro salute hominum usque ad mortem.“ Unde et eorum adversarios, videlicet Romanae ecclesiae defensores, haereticos appellat; et illud, quasi suo proposito sit conveniens, allegat et garrit: „Unde ait Joannes in sua canonica, et loquitur de Antichristo et suis membris, et dicit: Filioli, ultima hora est: et sicut audistis, quod Antichristus iam venit; sed iam multi antichristi facti sunt.“ Et invitans suae sectae multiplicari socios, haec quoque addit: „Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si ex nobis essent...“, nobis Christi membris detrahunt: et primo odientes nos corde, deinde effundunt se detractione, comminantes nobis inordinatis censuris et excommunicationibus invalidis, imo penitus contra deum prolatis.“

Attendite haec, charissimi, et videte, si isti homines pestiferi scripturis sacris in se bene sonantibus, devote et ad aedificationem utuntur. – –

Ad concludendum ergo verba mulieris huius garrulae (si tamen mulier), cuius tractatus summa devotione sectae suae sexus promiscui susceptus est et legitur, et pro magni muneris tenetur reverentia, quod et mulier ad gloriam scripturarum, mirae subtilitatis ingenio Magistri Huss et suorum sequacium noverit defendere veritatem, seu potius ventosam vanitatem. Hinc etenim inflata audet asserere, quod ad legis dei observationem et veritatis praedicationem Hussitarum duntaxat secta verbis scripturarum per omnia recte utatur. Sic enim garrit: „O mira et magna esset nostra caecitas, quod illos deberemus habere pro bonis et pro sancta ecclesia spiritualis ritus, quorum manifeste aliqui vivunt contra legem et mandatum Dei, et qui contrariantur humili et pauperulae vitae Jesu Christi, et illis contradicunt, qui tenent legem Christi et alios

ad hanc ducunt: ideo ut isti deberent esse tunc erronei, et maledictioni vel sententiis ecclesiasticis subditi. O pro Deo levate manus vestras ad Deum et sensus! Nam oportet hoc esse contra totam sacram scripturam, contra deum, apostolos et omnes sanctos. Nam non cadunt sententiae, id est *kletby* supra tales, qui custodiunt legem Dei. Nam dicit Dominus per prophetam: Vos maledicetis, et ego benedicam etc.“

Ecce recensui huius mulieris verba per eam sic descripta, ut qui ea legerint fideles, videant et intelligant, quanta sit Hussitarum cura contra sanctam ecclesiam sic tumultuose insurgere, ut nec quidem contra Scripturam sacram, parvulorum et mulierum numerum et consortia, in suis adinventionibus voluerint devitare.

Cap. VI

Garrit etiam eadem mulier et dicit: „Narrant adversarii, quod partes Magistri Huss non advertant excommunicationes. Et hoc non est ita. Nam ipsi valde ponderant illas excommunicationes illorum, qui sunt in mortalibus peccatis et sic sunt coram deo excommunicati: sed has excommunicationes parvi pendunt, quae sunt ab hominibus.“

O quam muliebris est haec relatio, stulta et stolidi, per quam ritum sanctae matris ecclesiae honestissimum et stabilem hi falsarum adinventores novitatum student, iunctis sibi mulieribus et parvulis, in proprium dedecus enervare?

Sed et hoc puto non esse transeundum silentio, quod compilatio praedicti tractatuli vulgaris non tam mulieri quam muliebri levitati intitulandus est, quatenus mirabili fastu Hussitarum vanam gloriam praedicet in remotis. En iudicent patres et seniores mei, et qui doctrinae sacrorum canonum inserviunt, si rationis dignum est magisterio, ut mulier, beguta, laica in suis dictis alleget quotas, quaestiones, distinctiones et capitula sacrorum canonum, quae fuso et contorquendis lini et stuppae filis dedita et ab alabro conglobata fila deberet texendis telis, cum summo persolvendae dominicae orationis studio, quantocius deportare?

Quo contra ad probationem propositi sic scribit ut sic dixerim, mulier illa inter caetera dicens: „Et etiam dicunt super eos,“ scilicet Hussitas, „quod nolunt esse obedientes suis maioribus, sive praelatis et papae. Et de hoc accusant maxime Magistrum Joannem Huss in suis praedicationibus coram omnibus hominibus; quod non tantum ipsi suis maioribus, sed etiam unicuique homini etiam de infimo gradu vellent libenter in bonis esse obedientes: sed in his Magister non vult obedire, quae sunt contraria divinis praeceptis. In quo non vult audire non solum quoscunque superiores, imo nec papam.“

Haec sunt verba mulieris, sicut ipsa loquitur, proposita. Et videte quae iam praedixerim. Mulier illa magistrorum suorum documento non servit muliebri fuso, sed quasi virago magisterio confuso. Ut enim non approbet, sed reprobet vel palliet veram obedientiam, tali magisterio propositum approbare nititur, ad quod talibus verbis utitur:

„Sanctus Augustinus dicit, et stat scriptum *v jedenástěj* etc., id est, Causa XI, quaest. 3. Non semper malum est non obedire superioribus: Quia cum praecipitur aliquid contra deum, praelato non est obediendum.“ Item allegat haec mulier s. Gregorium ibidem „*v desátěj* etc. dicens: Hoc sciri debet, quod per obedientiam nunquam malum debet fieri.“ Et ibi figit gradum, nec ultra verba b. Gregorii prosequitur, sed statim ad non obediendum allegat Isidorum sic: „Isidorus sic dicit, et est scriptum *v jedenástěj* etc. Quod sic sonat: Isidorus ut supra: Si ille, qui super alios sublimatus est, facere quodcumque, quod a deo prohibitum est, iusserit; vel hoc, quod scriptum est, mandaverit transgredi: exeat, inquit, sententia s. Pauli contra illum.“ Quod sic vulgariter dicit: *Bychom* etc. Quod sic sonat: „Et si nos ipsi, id est apostoli, vel angelus descendens de caelo, praedicaremus vobis aliter, quam quod vobis praedicamus,

gyrovagus sit et maledictus.“ Haec sunt verba magistrorum suorum per illam Jezabel introducta.

Proinde vos, qui Christi estis et universalis sanctae matris ecclesiae filii, et fratres charissimi, mementote et notate, quae praedixerim. Dixi enim, quod istius sectae Hussonis rebelles homines scripturis sanctis in se bene sonantibus, non ad aedificationem fidelium, sed ad multiplicationem rebellium et in hoc infidelium filiorum abutuntur, ut sic decipiant et interficiant innocentem. Cernitis siquidem, qualiter suam praedicationem iniquam, Deo omnipotenti, veritati et iustitiae et misericordiae contrariam, verbis Apostoli (de quibus nihil ad eos) etiam sub anathemate, simplicibus hominibus, quasi maleis durissimis, incutiunt observandam.

Nam ad firmandam vulpinae suae dolositatis nequitiam, post praedicta verba mulieris illius, quam doctricem efficiunt, sic continuatur: „Insuper si ille, qui supra alios positus est, ultra voluntatem dei vel mandatum Scripturae sacrae dicit aliquid vel mandat, hunc habete sicut falsum testem et sacrilegum.“ – –

Audite haec omnes populi, auribus percipite universi habitatores occidentis, tam filii Adam quam filii singulorum, simul dives et pauper. Etsi os meum nescit loqui sapientiam, et meditatio cordis mei negligit scrutari prudentiam; inclinavi tamen aurem meam in verba magistrorum horum per mulierem, ut praedicitur, in eorum propriam subversionem et in plurimorum subdolam deceptionem; quibus, ut repetam, sic disputat: „Si ille, qui super alios positus est, ultra voluntatem dei vel mandatum scripturae sacrae dicit aliquid vel mandat, hunc habete sicut falsum testem et sacrilegum.“

Ecce audistis, dilectissimi, laqueum, quem paraverunt peccatores, ut incidant in idipsum. Paraverunt quidem sagittas suas et absconderunt in pharetra, ut sagittent de occultis et interficiant rectos corde et suae dolositati subiectum comprehendant innocentem: et proposita primum Scripturae veritate, quasi mellis dulcedine paululum ad interficiendum, sic suarum adinventionum venenatum toxicum introducunt. Unde qui in scholis sedistis, etiam hoc didicistis, quia

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Jakoubek ze Střibra

Soupis děl Jakoubkových podal F. M. Bartoš, Literární činnost M. Jakoubka ze Střibra, Praha 1925. Souhrnná pojednání: F. M. Bartoš, M. Jakoubek ze Střibra, Světci a kacíři, Praha 1949, s. 82-105; František Borecký, M. Jakoubek ze Střibra, Praha 1945. O Jakoubkových názorech psal Zd. Nejedlý, Dějiny husitského zpěvu IV, Praha 1955, s. 87-147.

– Překlad Viklefova Dialogu

Překlad je dochován v tzv. Douchově rkpe (z 15. stol.), Muz. III B 11, fol. 181a-210b. Byl paleograficky vydán M. Svobodou, Sbírka pramenů... 1, II, 7, Praha 1909. Rkp je opis, několik listů v něm bylo vytrženo. Naše ukázka, kap. 25, je v rkpe na fol. 205a/b, ve vydání na s. 49-51.

12 obierali *Svob*] obierati *rkp* – 26 neb škodí *rkp*] neškodí *Svob* – 35 je *Svob*] je *rkp*

– Kázání na paměť nových mučedníků

Lat. znění tohoto kázání, Sermo habitus in Bethlehem a quodam pio in memoriam novorum martyrum M. Iohannis Hus et M. Hieronymi, kriticky vydal podle

rkpů UK v Praze VIII E 3 a VIII G 13 a tisku z r. 1558 naposledy V. Novotný ve FRB 8, Praha 1932, s. 231-242 a určil jeho autora (tamže s. LXXI) shodně s F. M. Bartošem (srov. Literární činnost M. Jakoubka ze Stříbra, Praha 1925, s. 45, č. 56). Naši ukázkou (závěrečnou část kázání, odpovídající textu na s. 238-242 vyd. Novotného) přeložil a poznámkami opatřil A. Molnár.

- Výklad na Zjevení

Dochován v jediném rkpe, uloženém v APH (dř. Kap. Praž.) A 37 (opis z 1. pol. 16. stol.). Celé dílo vydal v transkripci Fr. Šimek, Sbíрка pramenů českého hnutí nábož. ve stol. 14. a 15., sv. 18, Praha 1932 a 1933 (ve dvou svazcích). Opis je pečlivý, i když opisovač jazyk díla značně modernizoval, aspoň pokud jde o stránku hláskoslovnou. - Naše ukáзка, první část kap. 13, je v rkpe na fol. 173a-174b, v Šimkově vydání v 1. svazku na s. 498-503.